



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

De Struthiocamelo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Tulenm Roma, facile poterit indicare: & tristi quippe quodam senio in prosperam, nitidam firmamq; virilitatem transmutata. Sane hinc advigilantium perseverantiam, & legendi scribendiq; labores tolerandos longe alacriorem factum me senio. Tu, quod magis conferre soleat ipse videris, dummodo valetudinis atque firmitatis ratio in primis habeatur. Fecit autem ille, ut omnibus, in rebus festivissimus est, quod deponerem: tu vero respondisti, venturum te libenter, si modo per dies hos, quos in patria consumpturus esses, vellem ego tecum quotidie vel venatione, vel aucupio exerceri. Accepi conditionem, quantum ad aucupia pertinet: ac ne me imparatum deprehenderes, neve ulla nos tempestas, aut casus, ne minus res cum avibus esse posset, intercumberet, aviarium variis alituum generibus instructum comparavi: idque totum tibi, ludoque tuo destinavi. Tu cum voveris, quid facturum sis vide simulac convivium ex iis construere constitueris, utrum simplices has carnes, sine ulla peregrina jucunditatis aspergine, sine Apitiano ullo artificio sis appositurus: an, quia nonnullæ forsitan fatuæ, & sine succo videbuntur, hic condimenta illa aromataria Venetiis allata sis adhibiturus: ea vero quam suavia, quam odorata, quam pretiosa. Propera igitur, ut quando per Ægyptum aucupia nostra sumus exercituri, apud Cleopatram facias nos cœnare. Ego enim bellum depeculabor, & patinarum struere apparamo, tu corollaria & secundæ mensas addere collatio illo, uti consueverimus, more non gravaberis.

DE STRUTHIOCAMELO. CAP. I.

Facile quidem meminisse potes, optime Thoma, quo die Carolus V. Imp. à Clemente VII. P. M. Bononiæ coronam accepit, sacrificii genus quoddam à Germano milite media platea procuratum: interfuisti enim rei gestæ, cum Bovem mactaverunt, cujus uterum exenteratum, variis alituum generibus, aliorumq; esculentorum farcimimbus complevere, lætum hilarumq; diem ex his omnibus una tostis celebratur. Ita nos tunc facturi videmur, qui Struthiocamelum, visendæ magnitudinis alitem, minutioribus plerisque aviculis in ejus alvum ingeltis confarcivimus. In collacitiis vero nostris cœnis illis, quas post relictam Romam patriæ redditus, teque sodali jucundissimo reperto propofueramus, singula tantum singulis ciborum genera per sortem educerentur. Nostri multa ejus multiplicatis esculenta à convivis ex cogitata, ut legi fraus fieret sumptuaria, quæ inter nos sancita fuerat: rex enim variæ sub uno vel farinaceo integumento, vel omasi cuticula delitescerant: sed non id ganeæ, verum hilaritatis causa. Quare cum hæc fieri soleant in ludum, nos quoque ludum boni ominis causa profecuti, ingenti illi minores alias aves ingessimus. Maxima ea omnino avium, si modo avis appellanda est, cui pulmæ tantum sunt, non tamen volatus: cui crura, pedesq; atq; ungulæ, non forma tantum, verum etiam magnitudine propemodum bubuli. Sed hæc alii disputabunt, nos plumarum alatumq; animal in volucrum ordinem interim admitteremus.

Plin. ead.
lib. 10. c. 2.

JUSTITIA. CAP. II.

Hujus sane pennæ, quoniam præter alarum avium morem æquales omnes inter se sunt, justitiam & æqualitatem erga omnes significant, ut apud Horum habetur. Plurimus vero earum usus ad canos bellicos, & galeas adornandas, tam apud veteres, quam apud nostros, cujusmodi illæ, quæ in eo numo habentur, cujus inscriptio, T. CÆSAR DIVI AUG. F. AUG. P. M. TR. POT. XXIIII. Ibi enim pennæ hujusmodi in quodam sermo sitæ sunt supra frontem sigilli, cui subjecta est **D** inscriptio, JUSTITIA. Numum Bononiæ vidi apud Joan. Achillinum. ibidem apud Alexandrum Calciniolum solum Justitiæ caput in numo est, cum eodem pennarum æqualium gestamine, iisdem literis, quippe, JUSTITIA. Sedenim ut ad alitem revertamur, quoniam Struthiocameli stolidi adeo sunt, ut cum colla fruticibus occultaverint, latere sese existiment, succurrit Carneadis disceptatio, qui Justitiæ nihil aliud esse quam meram insaniam profitebatur.

Corneadis
disceptatio.

ἐπεὶ λῆξις,
id est, sum-

mitates.
Hinc Pinni
rapsi Retia-
rii.

PINNÆ IN MOENIBUS. CAP. III.

Ad ejusdem speciei similitudinem muroꝝ summa fabricari solita, causam dedere ut Pinnæ vocarentur ab iis, ut Varro ait, quas insigniti milites habere in galeis solent, & in gladiatoribus Samnites. Hinc intelliges de armatura Samnitium, quæ alibi apud Varronem & Plinium legeris.